

» permissis, et etiam in illis alias quam clausis januis ac excom-
» municatis et interdictis exclusis, nequeant missae ac alia divina
» officia celebrari. Si vero moniti, excommunicati et interdicti
» praedicti per alios tres dies, dictos ultimos tres dies immediate
» sequentes ad cor reverti, occupataque restituere et nostris mo-
» nitioni et mandato praedictis obtemperare distulerint et in sua
» voluerint cordis duritia et perversa obstinatione remanere, eos et
» quemlibet eorum reaggravationis, anathematizationis et maledi-
» ctionis ac damnationis mucrone percutimus et omnium ecclesia-
» sticarum censurarum laqueis ligatos et irretitos esse decernimus
» ipso facto. Et eosdem Leonardum ducem, consiliarios rogatorum
» et generalis concilii et alias singulares personas Communis Ve-
» netiarum, provisores, fautores, adhaerentes, complices et sequa-
» ces reliquosve monitos praedictos, excommunicatos, aggravatos,
» interdictos, reaggravatos, anathematizatos et maledictos, ut praef-
» fertur, in eorum protervia perseverantes, reos criminis laesae
» majestatis et ab omnibus Romanae ecclesiae devotis cum eorum
» bonis perpetuo diffidatos dicta auctoritate et potestatis plenitudi-
» ne decernimus. Et generaliter civitates, oppida, terras et loca
» quaecumque etiam ab eisdem Venetis non possessa, ad quae ali-
» quem eorumdem excommunicatorum declinare contigerit, quam-
» diu ibidem permanserit et triduo post recessum ejusdem simili
» interdicto subjicimus: ac Leonardum ducatu Venetiarum et ipsum
» nec non rogatos, consiliarios, provisores et alios monitos, digni-
» tatibus et honoribus in quibus constituti existunt et tam ipsos in
» specie, quam praefatum Commune Venetiarum privilegiis, con-
» cessionibus, gratiis et indultis, necnon bonis omnibus quo in
» feudum vel emphiteosim, seu alias a Romana vel aliis ecclesiis,
» monasteriis et locis ecclesiasticis obtinent, ita ut illi, ad quos per-
» tinent, de illis utpote ad eos libere reversis, possint pro sua vo-
» luntate disponere: nec non commune praefatum jure si quid eis
» competit in Paduana, Veronensi, Vicentina, Cremonensi, Brixien-
» si, Tarvisina, Pergamensi, Trigestina, Tranensi, Brundusina,